

num, ad Gregorium quoque a Senatu oratores designati. 1590

Vacuus hic annus maritimis excursionibus, & Uscochorum molestiis non fuit. Melitenses ac Hetrusci in orientis maria illati, prope Zacynthum, Cephalenem, & Cretam multas prædas egere. Ea cum Xysto V. Reipublicæ mutuique commercii causa valde displicerent, paucis ante obitum diebus, Religionis oratori præceperat, Magno Magistro scribebat, ne vicina Venetis ditionibus maria percurrere, neve in Veneta navigia inquirere fineret. Senatus de iis quæ acciderant, vehementer cum Ferdinando, Hetruria Duce, est conquestus; qui, ut in posterum divi Stephani Equites, quorum ipse princeps erat, a Venetis ditionibus abstinerent; neque molestiæ quidquam Reipublicæ rebus inferrent, curaturum pollicitus est. Anni exitu Uscochi circiter quadringenti mari delati, Miranum, vicum turcicæ ditionis, diripuere; Licæ præfecti fratrem captivum fecere. Ob id arctius Senniam, totiusque illius regionis oram ab Illyrici legato circumscideri decretum; navigia intercipi, incendi; iis, quæ in ea regione erant, triremibus coactis, prædones persequi, meritisque poenis coerceri. Quæ eo diligentius curabantur, quod Byzantio afferebatur, de pace inter Persarum Regem atque Amurathem agi; hominem inter Persas principem Byzantium pervenisse, perhonorifice exceptum fuisse; mutuis obsidibus datis, inducias in decennium pactas. Eo bello ab Amurathe confecto, christiani Principes, atque ii præsertim, qui magno terræ marisque tractu Turcis finitimi erant, ut suis rebus prospicerent, monebantur. Itaque Veneti in Cretæ regno communiendo summum studium ponere, commeatus comparare, milites augere, Græcorum militiae disciplinam prolapsam erigere, non cessabant; ad Cretæ, ac Cydoniæ militiae ordines præfecti biti; in Rythimna alter; alter in Cythea adjecti; duo peditum millia conscribi latum; lustrata classis; militaria instituta, temporis cursu laxata, novis firmata legibus ac decretis fuere.

*Venetis legati ad Gregorium Pontificem.*

*Miranum ab Uscochis diruptum.*